



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Viridarivm Sanctorvm

Ex Menæis Græcorum lectum, translatu[m] et Annotationib. similibusq[ue]
passim, historijs Latinis, Græcis; editis, ineditis illustratum

Rader, Matthäus

Avgvstae Vindelicorvm, 1607

S. Evstrativs Thaumaturgus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43013

lere. Hinc præcepit Deus famulo suo Phosterio, vti ne quid ab alio acciperet, sed manus operâ omnia sibi, suisque compararet. Nihil enim à quoquam accipiebat, atque ab eo tempore non verbo tantum docuit suos alumnos, quo pacto faciendo opere essent occupandi, studioque precandi & legendi vacarent, sed re ipsa & factis id ipsis ostendebat. Cum porro ea tempestate hæresis in Ecclesia Dei grassaretur, multisque coactis patribus & ipse euocaretur, venire minimè recusavit, reque benè gestâ, summâ de se omnibus admirationem commouit, multosque ex mulsis errorum sectis ad veritatem traduxit, pluresque suis adhortationibus ad vitæ monasticæ disciplinam attraxit, multaque miracula viuis mortuisque edidit. Obiit quinta Ianuarii ad vesperam.

9. Ianuar.

S. EVSTRATIVS Thaumaturgus.

*De alio
Eustratio
martyre
leges infra
in Syntag-
mate de*

HIC è Tarsia, sic indigitata regio est, optimatum ordini subiectâ, vico Bitziano, religiosi admodum parentibus & copiosis Georgio & Megethone oriundus, ab illis honestè eductus & institutus, cum
annum

annum ætatis vigesimum exegisset, cœlesti incensus ardore, profugus parentes relinquit, & ad Olympioras, Augarique cœnobium properat, in quo Gregorius & Basilius eius auunculi omni virtutum genere & exercitatione elucebant. Ab his receptus, & comam tonsus, laboriosum illud in monachis aptum vitæ genus amplexatus est. Voti compos, omnibus domesticis, summâ cum animi alacritate, & mentis demissione, nulla prorsus curâ vitæ præsentis habitâ, abiectis omnibus, ministravit. Nisi quod cilicinum cucullum & melotam retineret, in quo somnum (ubi ubi nox illum oppressisset) modico tempore caperet. Nullum enim certum ad quiescendum locum legerat. Fertur nunquam supinus iacuisse, postquam rebus humanis nuncium remisit, neque totis septuaginta quinque annis, quibus cursum vitæ, certamenq; exercitiorum peregit, in sinistram latus corpus deposuisse, aut dormiisse. Sanctis verò illis, qui monasterio præfuerunt, vitâ functis, eximio huic cura monasterii demãdata est, ipsorum impulsu fratrum, vt præfecturam suscipere, inducto. Postquam verò immanis ille rectè cognominatus Leo, à Bulgarico reuersus bello, imperium Michaëlis

*statumori-
entium, &
annotatis-
nibus.*

religiosissimi principis inuasit, Michaëlem quidem, qui illum humanissimè exceperat, & coniuge & liberis spoliatum in vinculis habuit, attonsumq; in monachum in obiectam è regione insulam exulatum eiecit, sopitamq; ante Iconomachorum sectam, reuocare conatus est, hic omnibus sua (monasteriorum & solitudinum) domicilia relinquentibus, & ipse, hortatu magni illius Ioannicii, in patriam venit. Restituito dein Ecclesię sacrarum imaginum cultu, & veneratione, sancti quoque patres, signis ac miraculis clari, suas quisque ædiculas repetiuere, quando & diuinus iste Eustratius postliminõ ad suum se cœnobium contulit, vbi per totos dies fratrum labores, labore suo adiunxit, noctes verò peruigili statione, genuq; flexione exegit. Atque nihilominus dum diuinâ psalmorum ex more odaria cantarentur, ipse assiduè intra sacrarium *κύριε ἐλέησον* seorsum clamitabat. Miranda porro opera quæ designauit, ob ingentem eorum copiam tradi literis (per compendium) non possunt; quæ quidem, quantopere Deo studia sua probarit, certo fuere argumento. Tandem hinc emigraturus, coactos qui sub eius præfecturâ vixerant, in hæc verba compellauit. Fratres,

ego

ego ad vltimam vitæ lineam perueni: reli-
quum est, dilecti filioli, vti depositū, quod
accepistis fideliter custodiatis, vt qui haud
ignoratis, præsentia omnia fluxa, futura ve-
rò esse sempiterna. Enitimini ergo, vti in
censum beatorum referamini. Hæc effa-
tus, beneque precatus, cruce illos signauit,
& sublati in cælum oculis: in manus, in-
quit, tuas Domine commendo spiritum
meum, & grato quietis somno consopitus
obdormiuit in Domino, cum annos vixis-
set quinque supra nonaginta. Deus nobis,
eius deprecatu, misericordiam impertiatur,
Amen.

ANNO TATIO.

DE Leone Armeno tyranno, & Michaële Im-
peratore fusè dictum in vitâ B. Ignatii Patri-
archæ Constantinopolitani (quam Nicetas Pa-
phlago conscripsit) concilio VIII. Oecumenico
præfixa. Lege Curopalatum, Zonaram, Cedre-
num & alios.

S. THEODOSIUS II. Ianuar.
Cœnobiarcha.

Venerandus hic ex patribus nostris
Theodosius, in Mogariso Cappadocię
I 4 pago,